

De ethica vi ac natura operum
Q. Horatii Flacci.

Quum munus mihi hoc anno obtigisset pauca conscribendi, quae ad scholae nostrae commentarios adjungerentur, neque fieri bene posset, ut nihil scriberem, quamvis esset, cur vacare aliquamdiu paullo magis litterarum studiis optarem, ex iis potissimum, de quo dissererem, sumendum mihi duxi, quibus anno praeterito in meam ipsius institutionem diligentius incubuisse. Operam vero dedi imprimis Horatii carminibus, quem solum fere lyricorum legi dignum putat Quintilianus, atque ea de causa iis denuo studium navavi, ut tandem rectius judicare possem de sententia eorum, qui, ut amicus meus probus, confirmare non dubitaverint, inesse in Horatii operibus minime magnam illam ethicam vim ad puerorum animos bene instituendos, quam docti viri toties nimis leviter contendissent et denuo fortasse confirmaturi essent. Quo studio occupatus quum fieri non posset quin aliorum de ea re scripta prudenter respicerem, quae probanda mihi videbantur, paucis annotare non intermisi atque hoc loco cum meis ipsius de ea re sententiis fusius explicare animum induxi.

Atque primum quidem pauca proferamus de notissima illa satira libri primi secunda, qua improbos, dum vitia quaedam declinent, in contraria incidere poeta demonstrare studet. Verum est, quod Doederlinus in editione sua Horatii satirarum probe annotat¹⁾, factam esse illam, non solum qua cum aegritudine quadam et offensione mores Romanorum, qui tum

¹⁾ p. 145.

fuerint. corrupti cognoscantur, sed etiam, qua Horatius imprimis quid nimis leviter atque impie de mulierum dignitate cogitaverit, ante oculos ducatur et perspiciatur. Nam in aliis quidem, imprimis amatoriis ejus carminibus libertinas, quae dicantur, ei pulchra quidem animalia et oblectamenta esse, in hac vero satira nil nisi libidinosi viri incasta desideria et gaudia. Et tamen in ea quoque honestum quoddam consilium ignorari non posse, quamvis profanae et immanes prolatae sententiae sint. Poetam enim adulteros impugnare, quos ipse nunquam secutus sit, eaque re indirecta via verecundiam, quam in odis saepe summis laudibus efferat, dum adulterium nusquam in jocum vertat, in domesticam vitam restituere studere. Credenti enim, per se constare, expletionem coëundi appetitus necessariam quandam ad vitam rem esse, matrimonioque solo, quod ipse nunquam expertus sit, ei satisfieri non omnino posse, tres quasi vias relictas videri ad rem optatam assequendam, unam, quae per lustram ducat, alteram, quae ad concubinatum, tertiam, quae moechis placeat et conduceat. Dum jam vero primam admodum aspernetur Davisque ingrediendum putet, tertia illa adulterina omnino improbata, quasi medium viam concubinatum eum commendare, dummodo amor absit libidinosus ac famulatus. Quae poetae sententia eo longius a probro, quod ei honestatis ratione habita verti posse videatur, recedit, quo magis memores esse debemus, eum a verae religionis doctrina, qua nos ducimur, alienum fuisse, concubinatumque legibus ipsis publice concessum et protectum fuisse.²⁾ Et quid? Nonne philosophi quidam, quorum disciplina in Horatium, quum Athenis versaretur, nonnullam vim attulisse videtur, ipsam voluptatem probaverunt in eaque sumnum bonum posuerunt? Facile igitur est creditu, aequales poetae illam crudam sensumque nostrum recti et venusti admodum offendentem satiram longe aliis, ut ita dicam, oculis legisse aliterque ea animo commotos esse, quam, qui nunc vivimus, nos. Meminerimus tantum opportet populum Romanum, qualis tum erat, omnino levem, mollem voluptatisque appetentem. In quo etiamtum erat illa severitas, illa morum simplicitas animique integritas, quibus majores olim excellebant? Quotusquisque non ducebatur luxurie, molitiae, nequitia, quibus victi a Romanis magni populi nuper capti perditique erant? „Casta est, quam nemo rogavit“, inquit Ovidius, „felices, quibus usus adest;“ et Horatius ipse:

Fecunda culpac saecula nuptias
Primum inquinavere et genus et domus:

²⁾ conf. Weber: Horaz als Mensch u. Dichter p. 85.

V

Hoe fonte derivatā clades
 In patriam populumque fluxit.
 Motus doceri gaudet Jonicos
 Matura virgo, et fingitur artibus
 Jam nunc et incestos amores
 De tenero meditatur ungui.
 Mox juniores quaerit adulteros — — —

et quae sequuntur Od. III 6, 27. Quae quum ita sint, nescio an poetae non nimis irascendum sit, quod quae in vita appeterentur atque probarentur, etiam in litteris sibi persequi licere existimavit. Alia ratio, pulchri dico, utrum res turpes unquam verae poesis aut esse possint aut debeant, ea quaestio Horatium fortasse impediri potuit, quominus illam satiram scriberet. Sed satiram ne habuisse quidem pro poemate videtur, quod inquirere hoc loco nostrum non est, neque facile, re non aperta, confirmare.

Animum advertamus potius aliquamdiu ad praecipuam voluptatis materiam, amorem, qui est, ut videamus, qualis in ceteris Horatii carminibus legentibus appareat.

Inter odas et epodos, quae vocantur, non paucae reperiuntur, quae amoris stimulo originem debeant in ejusque honorem compositae sunt. In quibus judicandis eo minus nobis singulas recensere opus esse videtur, quum in his lyricis carminibus, ut plus poeticae indolis, ita verecundiae et humanitatis plus inesse jure confidere debeamus. Et re vera, licet amatae alicujus perfidiam increpans aut fidam monens, ne virorum cupidinibus trahatur, aut sese consolans, quod amorem alicujus perdiderit, aut lenocinia pulchritudinis, voluptatis blandimenta describens magnam occasionem nactus sit ad indignationem suam vocibus obscoenis lascivisque exprimendam et id dicendum, quod legentium animos sordidis imaginibus expletat, multum abest, ut tam obscoena tamque respuenda verba et sententias proferat, quam quae in satira illa supra disputata horrenda esse diximus, et licet confirmari non possit, in ejus carminibus omnino nullos locos inveniri, qui quum rerum turpitudine tum obscoenitate verborum offendant, aut tales tantum, quales optimum quemque et sincerum animum, rudem vero atque integrum non offendant, tamen omnes si comprehendas, haud multi sunt,³⁾ et ambages, quas vocant, quibus probi de puerorum salute admodum solliciti Horatii interpretes utuntur, quum carmina ejus transvertunt, fortasse

³⁾ Sat. I. 18 et 12. Od. II. 11, 21, 12, 25 — III. 11, 49.

plus periculi afferunt, quam res ipsa, et nescio an magis probandum sit, rem turpem, si tractanda est, suo nomine appellare, quod quisque audiat, intelligat, praetermittat, nisi forte omnino moribus corruptus est, quam nescio quibus circumscriptiōnibus et honestis praescriptionibus uti, ex quibus res vera nihilo secius quasi perluceat eoque perniciōsius perluceat, quum inquirendo et cogitando mora et hac comprobatio rei facile dignatur.

Jam si vero mores poetae atque ingenium respicimus, quae ex operibus ejus manifesta fiunt et ad legentium animos nonnullam vim afferant quodammodo oportet, inconstantia ejus amoris, qua modo hanc anquirit, illam deserit, modo complures simul eodem studio prosequitur, justam indignationem in nobis movere debet neque fieri potest, quin levissimo cuique, flagrante libidine, id ipsum dignum imitatu exemplum videatur. Sed quamvis verum id sit atque verendum, ne hoc fiat, tamen veniam quandam Horatio haud inviti dabimus, si cogitaverimus, eum Italum fuisse, qui ut solis aestu vehementius, quam nos, califieri solet, ita animo quoque ad res suavitate irritantes facilius incalescit neque scelus committere sibi videtur, si, quum certo quodam et declarato alicujus amore ducitur, alterius simul gratiam in suum usum convertit. Imo, si amores poetae diligentius perlustrabimus, multum abesse reperiemus, ut tantae inconstantiae levitatisque incusandus sit, quantam probro ei facere boni viri jam nonnulli animum induxerunt. Celebrat enim, quod non dubito, sub diversis nominibus saepe unam eandemque mulierem.⁴⁾ An nobis credere non liceat, eum amotorium quasi casum interdum effinxisse animoque excogitasse? Quod nostris poetis tribuimus neque quisquam in malam partem accipit, id nonne Horatio quoque concedamus et sine suspicio habeamus? In eo quidem, ut Weberus inquit, noster laudandus est, quod non servae et communes meretrices sunt, quas amore suo amplectitur carminibusque celebrat, sed honestae libertinae, quarum consuetudo vel minus verecundiam nostram offendat. Ne aera quidem, cui quinta decima epodos dedicata est, meretricis speciem p̄ae se fert neque contendam, eam venalem non fuisse; sed in illo ipso carmine, quod inter pulcherrima poetae numerare non dubitem, veri amoris laesi dolorem vix ignorare possumus, et perfidia, quae incusatur, ut in aliis poetae amori bus, sic in hoc potius amatae quam ipsius esse videtur.

Uteunque se res habet, nimiae inconstantiae Horatium non insimulem,⁵⁾ et si qui sint, qui ejus exemplo ad levitatem impellantur, alii inveniantur,

⁴⁾ Buttmann Mythol. I. 304 ff.

⁵⁾ argumenta habes Od. I. 13; II. 12, 15 alia.

quos id ipsum prohibeat, quominus eandem vitae rationem sequantur, atque laudibus efferendus est poeta, quod, ubi perfidam aliquam amatam objurgat, eam non proprio, quod licebat, nomine appellat, sed ficto, quo quam significari voluerit, ipsa facile intellexerit, fortasse etiam amicorum aliquis prudens callidusque, non vero magna multitudo. Quo modo fit, ut mores poetae, quatenus ex operibus ejus manifesti fiunt et in legentium animos non nullam vim offerant oportet, haud ita turpes et perniciosi appareant, minime aequalibus nocuisse videantur, quum iis quidem nullo fere in honore virtus etiamtum esset, ut corrumphi posset.

Quod denique ad amorem ejus in Ligurinum⁶⁾ quendam et Lyciscum⁷⁾ attinet, quem sunt qui turpem paederastiam, quae vocatur, putent, Weberus illum in Ligurinum rem fictam et commenticiam habet, quod ex Od. IV. 10 satis intelligi ait, hunc vero rem gravem quidem et vehementem, non autem libidinosam et venereum indicare dicit.

Reliqua poetae opera, quae prima exciderunt, satirae sunt, quibus nihil dulcius, nihil aequius in eo genere scriptum esse a Romanis constat. Reprehendit enim poeta, quod quisque consentire debet, quum facete, tum severe magnos illos errores atque vitia, quibus Romani tum in suam ipsorum perniciem dediti erant, neque quidquam magis in desideriis suis habet, quam ut miserandos suos cives aut ad virtutem reducat aut ne penitus pessum dentur, omni modo prohibeat. Sed quid gravius, quid deficiens, quam id cum moderatione quadam et prudentia persequi? Quid periculosius, quam mores aliorum, ut emendentur, carpere neque ipsos laedere? Habes Lucilium, Juvenalem, Persium, qui etiam satiras scripsérunt probandumque consilium secuti sunt. Num vero putas, eos idem effecisse atque Horatium, quum ille Lucilius quidem homines amplissimo ipso loco natos juxta humillimos vehementissime increpasse vitiaque magna et parva eodem modo voceis libertate perstrinxisse et exagitasse dicatur, hi cum ira quadam et acerbitate, ac si nulla spes salutis reliqua fuisse, omnium mores atque studia irrideant infamiamque iis tamquam inurant? Bene igitur poeta noster, qui singulorum errores facetiis suis perstringens semper totos ordines et quasi duces multitudinis prudenter observet neque unquam praetermittat, quin clementiam adhibeat humanae infirmitati, qua vel ipsum aliquomodo aegrotare se facile intellexit. Inest in satiris ejus praeter severitatem et acerbitatem suavitas quedam ridendi et subringendi,^{*)} et ea ipsa

⁶⁾ Od. IV. 1.

⁷⁾ conf. Teuffel: Charakteristik des Horaz.

⁷⁾ spod. 9.

causa, quod, quanti ejus intersit, ut societas humana omni modo floreat, nequitia amoveatur, aperte indicant, quo minus ipse erroribus, quos vocibus cavillabat, ducebatur et perturbatur, eo magis civium suorum animos his moveri et exercitari, eo promptiores ad virtutem colendam reddi oportebat. Ac profecto ostendunt illae quidem nusquam vituperandum quoddam studium in aliis quaelibet clandestina vitia reperiendi et cum ironia et irrisione maligne denotandi, quo factum esset, ut civium de illis bona existimatio imminueretur infamiaque eorum nomen adspergeretur, sed sunt, ut nos fere dicimus, jocose et placide descriptae vitae imagines, ad quoscunque adumbrae sunt, speculorum instar, quae intuens se ipsum sibi quisque cognoscere videatur maculisque offendatur. Quod quum verum sit, laudibus effrendus est poeta, quod tam diligenter in suam ipsius emendationem aliorumque mores Romanorum animadvertisit, et si ei, quia homo erat, qui nihil humanum a se alienum putaret, interdum humani aliquid accidit, ut summa indignatione accensus aut juvenili petulantia exagitatus verecundiam lectorum offendat,⁸⁾ id probato ejus consilio condonemus, quod nusquam in satiris ejus ignorari potest.

Videamus jam, quid de odis et epistolis, quoad illae non ex amatoriis ejus carminibus sunt, judicandum sit. Atque hoc jam summam nostram gratiam iis conciliare oportet, quod sine dubitatione semper discipulis juvenibus a praceptoribus traditae et explicatae sunt, quum quidem bonorum educatorum non esse debeat, scripta, quae verecundiam laedant, alumnis suis tradere. Inerit autem omni carmini aliquid, quod ad vitam atque mores spectet, et quicunque modus ei judicando adhiberi poterit, ille honestatis admodum respiciendus erit.

Quid celebrat igitur Horatius in odis suis, quid in epistolis sibi ad efficiendum proposuit?

Honore illis afficit numina divina, auxilium rogat in rebus adversis, cives monet, ut templa eorum cultumque restituant (I. 21; III. 6.), bella civilia deplorat, quibus terrae et homines vexentur (epod. 7; 16:), vehementissime adhortatur, ne quis ea meminerit aut revocet (I. 17:;) munera pacis ostendit eorumque usum, atque laudibus effert missum, ut auguratur, divinus virum principem, qui ea populo Romano comparare et possit et velit.

Fuerunt qui poetam humiliis adulacionis erga Augustum accusarent, argumento usi Od. I. 2 aliisque locis,⁹⁾ quibus pacis restitutorem, fauto-

⁸⁾ sat. I. 8, II. 7.

⁹⁾ III. 14, 25; IV. 5; 14; 15; ep. II. 1.

IX

rem bonarum artium pro deo paene venerari eum dicunt, sed injuria. Ubi eum celebrat virtutemque ejus collaudat, nihil quam optimi eujusque Romanorum de eo sententias verbis pronuntiat, neque fieri potuit, ut aequales ejus eo incitarentur ad adulandum principibus, neque Horatium ut callidum odiosumque adulatorem haberent. Nec tam obnoxius ille Augusti voluntati erat, ut ei in mentem venire posset, necessarium sibi esse adulacioni indulgere, qua gratiam ejus partam sibi reservaret et augeret. Quod ne faceret, satis eum amor libertatis studiumque illud probandum ac laudabile prohibebat sibi res, non se rebus subjungendi, quod ex operibus ejus plane intelligitur, ut ii solum poetae comitate offendi possint, qui neque mores ejus ingenuos bene perspexerint neque Augusti de populo Romano bene merita et hujus erga eum gratum animum juste ponderent et agnoscant.¹⁰⁾ Mittamus igitur, de eo fusius disputare et gaudemus, quod, ubi pacem laudat poeta votisque suis persequitur, non est illa mollis et effeminas voluptas, quam velut fructum hujus pacis desiderat, sed conservatio majorum de republica sententiarum, de urbe et imperio, quibus pacem illam solis quasi fundamentis niti putat, otium honestum atque dulce, quo civem quemque, victis tandem etiamtunc resistantibus barbaris, fruiturum esse libenter sperat. Et quid aequius, quid Romano vero atque fido magis dignum, quam ejusmodi desideria, Romano dico, qui summam suam religionem in civitate poneret, atque omnia, quae ei gloriae, commodo et saluti essent, justa et probanda eademque causa appetenda habebat? Quodsi cives noster admonet, ut ad hostes imprimis consilia sua et cogitationes referant, adversus eos gladios stringant, non in se ipsi (I, 2.), ut eos divincant, neve se invicem caede et calamitate persequantur, haec adhortatio populi, cuius bellum gerere erat, quique externo tantum bello contineri poterat, quominus domi seditiones faceret, nonne legi etiam divinae tibi consentire videtur, si cogitas, quid populares, cives, propinquui sibi invicem debeant, quid nullo societatis aut affinitatis vinculo conjuncti hostes vicini? Hoc modo parta pace vero effici voluit poeta, ut pristina Romanorum virtus quam corporis tum animi et restitueretur et augeretur imitatione editorum a majoribus exemplorum¹¹⁾ modestiae, justitiae, fidei, simplicitatis, liberalitatis, imprimis cultus morumque emendatione, sine qua leges constitutas frustra latas esse putat neque quidquam valere. In Capitolium, inquit, con-

¹⁰⁾ Gaston Boissier: Revue des deux mondes 1867: C'est encore ce fils d'esclave qui dans ses flatteries, a su conserver le mieux sa dignité.

¹¹⁾ IV. 4; III. 2; 6, I. 22; II. 2; II. 15; III. 16; IV. 4.

feramus aurum et argentum, si scelerum bene poenitet, in mare gemmas et lapides, irritamenta malorum! Nam quid leges prosunt, si avaritia et pauperies, illud magnum opprobrium, quidvis facere ac pati virtutisque arduam viam deserere jubent? (III. 24). Quanto plura sibi quisque negaverit, eo plura a diis feret (III. 16) et quae alias inveniuntur pulchre dicta. Et jam quid videtur? Nonne omnino probae eae et honestae sententiae? Num quid aliud efficere possunt, quam ut legentes audientesve ad virtutem excitent propriusque adducant? At vero haec rejicienda: omissis curis hilariter esse vivendum, non trepidandum in usum aevi, beatum illum, cui liceat in diem dixisse, vixi (II. 11) et quae eodem redeunt aliae voces; Carpe diem (I. 11.) similes.¹²⁾ Fateor ejusmodi exhortationes, quibus vino et ludo et dulci amore curas depellendas esse vult poeta, magnis periculis non vacare. Sed leviter illa cantata, ex quibus nostrum illud, quo gaudere vita jubemur, suaviter resonat, cum iis dictis conferenda sunt, quibus moderatio, continentia et observatio aureae mediocritatis diserte commendantur,¹³⁾ et si consideramus, quid veteres pagani de morte iisque rebus, quae ultra sunt, tam miserandum in modum cogitaverint, iis immortalitatem nihil aliud fere quam memoriam posterorum visam esse, illa exhortatio ad bene hilariterque vivendum nescio an aut nihil vituperanda aut illius ratione temporis excusanda sit. Luxuriam, heluationem et vitam mollem poeta aequo improbat¹⁴⁾ atque ipse nunquam secutus est. Hominem frugi quam maximi habet, et si interdum occasione data in compotationibus et conviviis amicorum monitu justam cibi potionisque modum excessisse videtur,¹⁵⁾ hoc ei vitio facias cave, quum id optimo cuique accidere possit, Horatianae ceteroquin consuetudinis fuerit, frugalitatem sequi. Laudat atque commendat laetum hujus vitae bonorum usum, dummodo sapientia pareatur et conservetur¹⁶⁾ et vitam beatam ut nos in conscientiae sic ipse in animi tranquillitate ponit.¹⁷⁾

Liceat hoc loco etiam pauca de iis rebus proferre, quas post mortem homini eventuras esse poeta animo sibi finxit. Ignorari non potest, si omnes locos,¹⁸⁾ qui de morte velut postrema sorte omnium agunt, accurate

¹²⁾ I. 9; IV. 12. etc.

¹³⁾ I. 18; 27; II. 3; 10; I. 31; III. 18; III. 16; 17.

¹⁴⁾ sat. II. conf. Od. 1. 38.

¹⁵⁾ I. 3; 24; II. 7; 17.

¹⁶⁾ II. 16; IV. 9

¹⁷⁾ II. 16; III. 1.

¹⁸⁾ I. 4; 24, 28; II. 3, 10; 14; 18; III. 8, IV. 7 etc.

respicimus, eum non solum cum horrore quodam de ea cogitasse, sed etiam minime animo confirmatum esse spe vitae futurae, qua optimi jam tum se consolari solebant. Poetarum de orco fabulis nullam fidem habens, quamquam Sappho et Alcaeus in elysio cantantes fingit, desideratam immortalitatem in memoria potissimum posteriorum posuisse videtur, qui quae probi atque optime de hominum salute meriti viri perfecissent, grato animo agnoscerent et reservarent. Quo factum esse ait, ut Castor et Hercules¹⁹⁾ inter astra positi, mutata forma, aeternam vitam agerent. Eodem modo etiam sibi ut contingat futurum esse sperat, ut cycni forma indutus vates perennis per liquidum aethera feratur omni invidia major²⁰⁾

Deorum se ipse olim cultorem parcum et infrequentem fuisse ait, et profecto ex scriptis ejus intelligitur, nunquam eum magna illa superstitione, qua aequales, aequi imbutum fuisse vel ductum. At vel ea de causa, quod Jovi optimo maximo plurimum in gubernando mundo tribuit, confirmare velle, eum ceteros deos atque deas nil nisi emanationes quasdam et quasi prosopoeias variarum Jovis optimi maximi virtutum ac facultatum habuisse, aesi unum tantum deum crediderit poeta, id quamquam fuerunt, quibus placuerit, tamen ignorare nobis videtur esse statum scientiae rerum divinarum, qualis tum doctorum Romanorum erat. Neque enim tam philosophiae studiosus ille erat, qui ea duce propius ad veritatem adductus cum aequalibus suis omnino dissentiret, quos multos esse deos credidisse constat. De numeribus divinis multo liberius, quam ii, sentiens miraculisque parum tribuens, deos aeternos (II. 8) „securum agere aevum“ putabat, qui si natura quid miri faceret, id tristes ex alto coelo non demitterent (sat. I. 5). Eos vero rerum humanarum non omnino negligentes esse eventusque felices aut infelices rerum gerendarum ab eorum gratia et ira pendere, etiam persuasum habuisse videtur, id quod ex Od. IV. 6 satis intelligitur. Iis igitur homines confidere debere, eos rerum futurarum scientes esse (III. 24), eos tueri ac defendere pios (I. 17; 22;), odise scelus (III. 4) ait; qui ipsos honoret, ei impertiri ab illis multa bona (III. 16); non postulare deos pretiosa dona, sed manus puras et integritatem animi (III. 23); quos qui negligant, his imminere magnos dolores (III. 6); antecedentem scelestum raro deseruisse pede claudam Poenam (III. 2) et quae similia inveniuntur probe dicta. Atque adeo, si Od. II. 17; III. 8 respicimus, ignorare non

¹⁹⁾ III. 13; IV. 8.

²⁰⁾ II. 20, IV. 3; conf. III. 30; IV. 8; 9; III. 2. etc.

(2)

possumus, poetam singulos ipsos vitae casus deorum voluntati obnoxios esse putavisse. Quae omnia admodum probanda et laudanda sunt.

Restat, ut de epistolarum quoque ethica vi ac natura pauca disputentur. Illae quum ad singulas easdemque certas personas missae sint, certum etiam poetae consilium singulae indicabunt. Praecepta vero, quae ad vitam bene instituendam amicis dantur, maximam partem tam ad omnes spectant, ut profecto haec illave epistola ad totum quoddam hominum genus sive ordinem missa esse videatur, cuius ille erat, ad quem scripta est. Quamvis vero jam operae pretium sit, singula videre, ut intelligatur, quatenus honesta sint neene, tamen paucis absolvere tam multa contemplatione digna quasi cogimur, quum huic opusculo constitutos fines jam longius excessisse nobis videamur. Satisfaciat igitur dixisse, poetam epistolas scribentem eo vitia suae aetatis emendare posse sibi visum esse, ut amicos cives adhortaretur, philosophiae studio ut incumberent, quo maxime quum libidines coercentur, mores emendantur, tum animi tranquillitas et paratur et conservaretur. Non enim interesse putat, ubi quisque habitet, quibusque laetis et secundis conditionibus, sed ne aequum animum perdat, quem ubique facile servare possit; possessionem solam beatum non reddere, sed earum, quae possideantur, rerum justum ac prudentem usum, quem sapientiae studio doceri, quae persuadeat, sibi res externas omnino post habendas parvique aestimandas esse.

Ex epistolis Horatius vel maxime cognoscitur, qui amicitiam colat atque diligat. Inde frequens illa amicitiae laus, qua etiam carmina ejus et satirae abundant, inde studium illud Maecenatis et Augusti, qui dignos tantum viros amicitiae vineculo sibi adjungant, et occulta quasi superbia, qua inter eos se esse gaudet. Amicitiam non nisi inter pares esse posse, plane profitetur; vitia autem imprudentia facta non statim benevolentiam tolli debere, item persuadere studet. Omnino considerandum esse censet, quid cuique trahiendum et ab eodem postulandum sit, ne quid nimium exspectetur, et ut juste quodque optatum libenter praestandum, ita tamen cavendum, ne libertas cogitandi et agendi amittatur, quae si ei pluris erat, quam divitiae et favor potentissimi cujusque hominis.

Tam pulchris honestisque sententiis etiam verba accomodata esse, jure confidere licet, et re vera nulla quum rerum tum verborum obscoenitas in epistolis invenitur, quae turpitudinis nota notanda sit.

Haec habui, quae de Horatii operibus hoc loco disputarem.